

Quod si vnquam libens manum scripturae adplicui, sane hoc quidem tempore lento progreditur passu calamus, quasi reluctans officio, ad quod destinatur. Verba nimirum postrema fieri a me debere in hoc Ill. Gymnasio, cui per quinque annos cum dimidio praefui, indicandum est, non temere alias mihi passus persuaderi, fore, vt ab ea Schola, quam gratia DEI, clementia PRINCIPIS, PATRONORVMque cura, & indefessa docentium industria, vsa consilio auxilioque eorum, quorum interest, ne quid ea caperet detrimenti, ad famam aliquam, ex vtilitate communi, quae in discipulos deriuata non raro adparuit, visa est haectenus euexisse, tandem, nisi expletis vitae spatiis, discederem. Enimvero me prorsus non opinante factum est, vt, cum Nobilissimus Vir, Dn. Iohannes Christophorus WENZELIUS, Medicinae Doctor, Marcksuhlae in Isenacensi agro natus, educatusque olim in hac ipsa Schola Isenacensi, vltra annos vero XVII. Scholae prouincialis Altenburgici Principatus Director celeberrimus, deque Iuuentute meritis praeclarissime, nuper ad regendum Gymnasium Zittauense parasset abitum, Ipsi ego succederem Gymnasii istius Ducalis Director, ex propensissima in bonas litteras harumque culturam voluntate Excellentissimorum Amplissimorumque Inspectorum & Patronorum, confirmata mox per clementissimam Serenissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Angriae, Westphaliaeque Ducis, &c. consensionem. Sequi nolle vocantem Deum, nefas omnino est, & periculo non caret, cuius experimenta, tristia prorsus euentu, & a me semel, & ab aliis, facta sunt, non temere denuo iteranda. Cumque adeo piuum existimauerim, non refragari velle iubenti Numini, sed potius, dum cuncta supra nos curat negotia, morem ei gerere, vel ad Garamantas ire iussuro Indosque, siquidem voluntas Ipsius diuina perspicua sit; fas etiam non duxi, si, qui in luce totius Urbis Prouinciaeque huc vsque sum versatus, discessum pararem velut in tenebris, sine bonis verbis hinc abiturus.

Quae dum consideraui mecum, subiit simul recordatio RECTORVM omnium, qui Scholam Isenacensem inde a tempore emendari coeptae, emendataeque postea in melius religionis, sunt moderati. Quorum aliquam quidem recensionem instituit D. Christianus Franciscus Paulini, patriae quondam suae, Isenaci, decus insigne, in Annalibus Urbis, sed passim, nec iusto ordine; accuratior tamen Summe Reuerendus & Magnificus Dn. Iohannes Christophorus Zerbst/Consiliarius Ecclesiasticus, Consistorii Supremi Assessor, Pastor Primarius, Superintendens Generalis, & Gymnasii huius Ephorus, longe meritissimus, dedit eo tempore, quo nostrae mediocritati tradebat publice habenas Gymnasii; nisi quod optamus, vt Clarissimus Vir, Dn. M. Godofredus Ludouici, Ill. Gymnasii Schleusingenensis Rector celeberrimus, & Collega olim noster amicissimus, sollertiam suam felicem admodum, haectenus Historiae Scholarum prae caeteris inclytarum accommodatam, huic etiam Gymnasio, describendisque, qui illud ornarunt, Rectorum, me antecedentium, Vitis adplicare velit. Singularia enim horum fata reperio, cum paucis, vt arbitror, Scholis communia. Qui enim in Saeculo XVI. praefuerunt Scholae, singuli euaserunt alius, & plerique ad officia quidem eminentiora; ast qui in Saeculo XVII. moderati sunt Scholam, non, nisi cum morte, deposuerunt regendi onus.

Primus, qui D. Martini Lutheri praeceptor fuit, innotuit nobis Iohannes TREBONIVS, ab ipso, vt dextre tradens grammaticam, probatus, teste Philippo Melancthone, Tomo 4. declamationum, pag. 489. & humanissime salutans discipulos, quoties Scholam ingrederetur, neque aliter, quam eodem modo, a Collegis suis fieri passus, ita referente Andrea Toppio, in historia Urbis Isenacensis, a me edita, p. 70, 71. de quo Trebonio tamen non memini alibi quidquam, praeter ista, & quod aures haberit mobiles, me legisse. Excepit hunc

M. Sebastianus BOETIVS, Gubenas, factus post annum 1540. Ecclesiae Isenacensis Diaconus, mox Ao. 1544. Pastor & Superintendens Ecclesiae in libera Imperii Vrbe Muelhausen, in locum Iusti Menii, ac tandem Ao. 1547. Pastor Ecclesiae in Vrbe Hala Saxonum, seu, vt quidam mavult, Hermundurorum, functus isto officio vsque ad vitae finem, Ao. 1573. Proximus ab hoc erat

M. Bartholomaeus ROSINVS, seu Rosefeld/Pesnicensis-Osterlandicus, qui, ex Rectore Scholae, Diaconus Isenacensis, Anno. 1551, postea vero Pastor & Superintendens Vinarie, ac tandem Ecclesiae Ratisbonensis Antistes, factus est; pater Iohannis Rosini, Ecclesiastis tandem Naumburgici, cuius inter libros laudem omnem promerentur tum Antiquitates Romanae, a Thoma Dempstero, Scoto, Commentariis illustratae, tum

Vitae